

bilem circumstantiæ peccati excusare ab speciali malitia ejus, etiamsi peccatum ipsum voluntarium sit, quia tunc circumstantia est omnino involuntaria; ergo idem est de quocumque effectu subsequuto cum eadem ignorantia, quantumcumque opus alias pravum sit. Et confirmatur, nam si de facto non fuisset sequutum homicidium, ex tali opere illicito, nulla omnino malitia homicidii directi vel indirecti imputaretur operanti, neque apud Deum, neque apud homines; ergo quamvis homicidium sequi contingat, non imputatur ad culpam, quia non pendet ex solo casuali eventu absque voluntate. Verum ergo fundamentum esse debet, quia jura voluerunt punire tale homicidium, propter solam malitiam actionis, ex qua sequutum est, etiamsi specialis malitia, vel indirecta voluntas homicidii non intercedat. Quod enim jura potuerint hoc facere, manifestum est; quod autem fecerint, patet ex cap. ultim. de Homicidio, in 6, et ex cap. Tua nos, de Homicidio.

2. *Posita sententia impugnatur.* — *Responsio.* — *Replicatio.* — Nihilominus hæc sententia multis recentioribus Theologis dura visa est. Primo, quia nullo jure canonico sufficienter probari potest, ut Soto notavit; nam licet Navarrus nimis audacter illum loquutum fuisse dixerit, verum tamen dixit; nullus enim textus a Canonistis profertur, in quo hæc regula universe et indistincte statuatur, dantem operam rei illicitæ, si homicidium ex ea sequatur, manere irregularem, quantumvis casu et involuntarie sequatur; sed afferunt solum ea jura, quæ affirmant, dantem operam rei licitæ cum sufficienti cautione et diligentia, non manere irregularem, etiamsi homicidium sequatur; et ex eis colligunt per argumentum a contrario sensu, quando opus est illicitum, non excusari irregularitatem. Quod argumentum, ait Soto, infirmum est. Respondet autem Navarrus, licet argumentum a contrario sensu dialecticis sit infirmum, Jurisperitis tamen esse firmissimum, maxime quando contrarium non est jure expressum. Sed in primis hic contendimus, contrarium esse expressum, nimirum, in eo jure, quod habet, irregularitatem non incurri nisi in casibus a jure expressis; nam id, quod tantum elicitur ex jure per argumentum a contrario sensu, non potest dici in jure expressum; ergo contra jus est extendere illa jura ad irregularitatem dicto modo. Addo, argumentum ipsum a con-

trario non esse firmum apud juristas in materia pœnali et odiosa, ut sæpe in superioribus ostensum est; hic autem versamur in materia pœnali.

3. *Alia responsio.* — *Instantia.* — Melior responsio est, si dicamus, hanc irregularitatem esse expressam in illo jure, in quo propter factum homicidii fertur irregularitas, quia lex illa generalis est, et ab illa non possumus excipere, nisi quos jura excipiunt; jura vero neminem excipiunt, qui homicidium casu fecerit, nisi concurrentibus illis duabus conditionibus, scilicet, quod det operam rei licitæ, et cum sufficienti diligentia; ergo quicumque occidit sine his conditionibus, manet inclusus sub lege irregularitatis. Major constat ex cap. Clerico jaciente, et cap. Eos vero, cum aliis, dist. 50. Minor sumitur ex c. Joannes, et c. Dilectus, et cap. ult. de Homicidio, ibi: *Attendentes, quod sacerdos ipse dabat operam rei licitæ.* Sed adhuc contra hoc instatur, quia illæ conditiones non ponuntur ibi, ut omnino necessariae, sed ut sufficientes et excludentes omne dubium, quando ambæ simul concurrunt; ergo non est unde sufficienter colligamus, utramque esse necessariam. Neque in illis capitulis fit exceptio a generali, sed declaratio quorundam casuum, qui sub prædicta lege ex se non continebantur, ad quam declarationem faciendam usi sunt Pontifices signis certissimis et indubitatis; non tamen propterea definierunt casum dubium, in quo licet opus fuerit illicitum, diligentia tamen et ignorantia fuit invincibilis, sed illum disputationi Doctorum reliquerunt. Qui autem dicunt, in eo casu non incurri irregularitatem, non putant fieri exceptionem a lege; sed declarant, casum illum non fuisse comprehensum sub tali lege, quæ declaratio et in ratione et in jure fundatur, quia lex illa solum comprehendit homicidium voluntarium; hoc autem homicidium voluntarium non est, ut ostendimus: ergo. Major patet ex Clementina unica de Homicidio, ubi infans, furiosus, et dormiens declarantur immunes ab irregularitate, quamvis occidant, cujus ratio non potuit esse alia, nisi quia talia homicidia non sunt voluntaria. Cujus signum esse potest; quia si ante somnum quis prævideret periculum occidendi alium dormiendo, non evitaretur irregularitas, ut constat ex cap. Quæsitum, de Pœnit. et remiss., et cap. Consulisti, 2, quæst. 5. Item, quia homicidium, quod non est voluntarium, non est humanum, nec moraliter dici potest esse ab

homine; ergo non potest esse fundamentum irregularitatis, maxime hujus, quæ pœnalis est. Tale ergo homicidium non comprehenditur sub illa lege de irregularitate homicidii; ergo nullum est jus, in quo fundari possit. Quia revera nullum est, quod irregularitatem injungat propter talem culpam, etiam habentem omnino per accidens adjunctum talem effectum, neque illa, quæ sunt ita causalia, veniunt in humanam considerationem.

*Secunda sententia.*

4. *Prima distinctio in hac opinione.* — *Impugnatur.* — Propter hæc igitur alii Doctores contrariam regulam generalem statuunt, quoties homicidium casuale voluntarium non est, etiam indirecte, non incurri irregularitatem, quantumcumque sequatur ex opere illicito. Ita sentit Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. 14, versus finem; adhibet exemplum de ebrio, qui hominem interficit; nam si fuit casus inopinatus, non manet irregularis, etiamsi inebriando se, dederit operam rei illicitæ, sicut non maneret irregularis, etiamsi inebriatus esset sine culpa, propter ignorantiam invincibilem ipsius facti. Alii vero distinctionibus utuntur: una est de opere illicito, quod ex se expositum est periculo occidendi aliquem, vel de opere, quod per se, vel ex alia prohibitione accidentaria prohibitum est. De priori conceditur inducere irregularitatem, non vero de posteriori. Hac distinctione utitur Soto, dicto articulo 9, qui varia adhibet exempla; in priori ponit actionem bellicam, torneamenta, et similia; in secundo ordine ponit equitare, v. gr., tempore prohibito, deponere campanam contra prohibitionem Prælati, vel aliud simile opus facere in die festo; applicando casus cap. Ex litteris, et cap. Dilectus, addendoque solum prohibitionem extrinsecam, ob quam opus sit illicitum. Posteriorem item partem declarat exemplis; sicut enim si quis venando in loco permissio non fit irregularis occidendo aliquem, quia ignorantia et casus fuit invincibilis, ita si venatio fiat in loco non permissio, et ex illo solo capite sit illicita, non incurret irregularitatem, si in cæteris sit æqualitas. Aliud exemplum contra Sylvestrum, *Homicidium*, 2, quæst. 18, est, nam si quis cædens arborem suam, casu occidat aliquem, vitat irregularitatem propter sufficientem diligentiam; eandem vitat, etiamsi illicite, et furtive scinderet arborem alienam, cum æqua-

litate in cæteris circumstantiis. Quod exemplum admittit Navarrus, num. 237, ubi alia similia ipse ponit; unde plane videtur cum Soto convenire in prædicta distinctione; nam universe ait, licet opus sit illicitum, si tamen ex se non dirigitur in mortem, neque habet ejus periculum, non sufficere ad irregularitatem, si alias homicidium ex illo secutum sit omnino casuale. Verumtamen admissio hoc posteriori membro, restat interrogandum circa prius, an tale opus in individuo exerceatur cum sufficiente diligentia et morali certitudine, quod hic et nunc nullum sit periculum, necne; quamvis enim opus sit ex se aptum ad occidendum hominem, si adesset, tamen hic et nunc potest moraliter constare non adesse. Si ergo hæc diligentia non supponitur adhibita, recedimus a casu, in quo versamur, quia jam tale opus non solum est illicitum aliunde, sed etiam ex relatione et periculo homicidii; si autem tota illa diligentia posita est, jam eadem ratio versatur in hoc membro, quæ in altero, quia jam tunc homicidium omnino involuntarium est; hæc est enim unica ratio alterius membri. Parumque videtur referre, quod opus in specie consideratum sit periculosum, necne, si in individuo cavetur periculum; nam judicium de rebus moralibus in individuo ferendum est, ut de habituali culpa, et voluntate ferri possit.

5. *Alia distinctio in eadem opinione.* — *Impugnatur.* — Alia distinctio aliorum est, de opere illicito, si sit causa proxima homicidii, vel tantum remota; nam priori modo censetur sufficiens ad irregularitatem, non vero posteriori. Et hujus membri exempla ponuntur de eo, qui illicite confecit chartas lusorias, ex quarum usu orta postea est occasio homicidii, quæ nec prævideri potuit, nec debuit vitari, quia non tenetur homo, ut sic dicam, tam a longe cavere vel vitare actionem, ex qua potest alius occasionem peccandi sumere. Unde simile exemplum est de eo, qui ense furto sublatum alteri vendidit eo tempore, quo nulla erat occasio, vel periculum interfectionis, quamvis postea secuta fuerit ex tali venditione, quæ illicita fuit. Item de adultero, cujus occasione maritus uxorem interfecit; non enim manet adulter irregularis, etiamsi dederit operam rei illicitæ. Sed hæc etiam distinctio, licet aliquid verum dicat, non evacuat difficultatem, eadem ratione, qua nec præcedens, vel certe majori, quia utrumque membrum incertum

est. Nam de priori, scilicet, causa proxima, interrogo, an talis sit causa, ut non potuerit prudenter evitari periculum occisionis exercendo illam, necne. Si primum dicatur, receditur a puncto quaestionis, quia jam tunc homicidium non est mere casuale. Si vero dicatur secundum, addendum ulterius est, illam diligentiam adhibitam fuisse; nam in eo casu versamur, et tunc procedunt rationes factae, quod tale homicidium, quantumcumque causa fuerit proxima, voluntarium non est; ergo nec erit causa irregularitatis.

6. Simile dilemma fieri potest de altero membro; nam si causa sit adeo remota, et per accidens, ut nulla sit obligatio vitandi illam, etiamsi praevideatur effectus possibilis occasione illius potius, quam futurus, tunc parum refert, quod talis causa posita sit in actione licita vel illicita, quia non inde provenit, ut effectus non imputetur; sed quia nullo modo est voluntarius, neque homo est causa ejus, ut recte explicavit Cajetanus, dicto art. 8. Propter quod Navarrus, num. 224, absolute dixit, homicidium omnino casuale sequutum ex opere illicito, quod est causa tantum remota ejus, non sufficere ad irregularitatem. Ponit exemplum in hero, qui mittit servum in domum, vel agrum ad maleficium faciendum, et ibi interficitur a fulmine; non enim propterea dominus irregularis manet. Merito tamen advertit Covarr., dict. § 4, num. 9, in fine, licet causa propinqua maxime sit consideranda, non tamen semper esse necessariam etiam ad homicidium casuale, quod ex opere licito sequitur, nedum ex illicito; nam licet causa sit remota, si hic et nunc moraliter adest periculum, et potest praevideri, obligatio esse poterit vitandi illam, ut, v. gr., in casu cap. Tua nos, de Homicid., remota causa ejus censetur curare tumorem gutturis debito modo, et cum sufficiente animadversione custodiendi se ab injuriis ventorum et aeris. Nihilominus tamen tales possent circumstantiae personae, loci et temporis incurrere, ut esset obligatio vitandi illam causam propter periculum. Idemque accidere potest in actione licita ex se conficiendi pharmacum alias utile, si moraliter timeretur pravus usus ejus in perniciem alterius, quamvis illa causa remota etiam sit; ergo a fortiori idem contingere potest in actione illicita conficiendi venenum, vel dandi pecuniam alienam, qua alius emitem ad alium occidendum. Quamvis ergo causa sit remota, in particulari consideran-

dum est prudenti arbitrio, an potuerit et debuerit vitari, intuitu talis effectus quamvis remoti. Et tunc revertimur ad idem dilemma; nam licet talis causa sit remota et illicita, vel fit cum debita diligentia cavendi periculum mortis proximi, vel non. In priori casu verum est vitari irregularitatem, non autem in posteriori.

7. *Casus de adultero, ob cujus causam uxor a marito occiditur, resolvitur.* — Sic enim resolvendum censeo casum illum de adultero; nam si temere accessit ad uxorem alterius, exponens illam periculo mortis, irregularis manet, quia moraliter est causa talis homicidii; secus vero erit, si cum sufficienti cautela morali id fecit, quia tunc effectus nullo modo est voluntarius in tali causa. Atque ita sentit in simili Covarr., in d. Relect., 3 part., in princ., n. 4, verb. *Posset quidem*, quamvis part. 2, § 4, n. 10, verb. *Tertio*, cum Castro negaverit, in eo casu incurri irregularitatem. Navarrus autem, cap. 27, num. 239, absolute dicit, in eo casu incurri, juxta suam opinionem, quam dicit approbatam fuisse a Pio V, cum in sacra Pœnitentiaria hic casus controverteretur; et in foro exteriori videtur mihi valde verisimile, quia semper praesumitur adulter moralem occasionem dedisse homicidio; tamen in rigore conscientiae distinctio data mihi probatur. Ergo juxta hanc etiam distinctionem nunquam invenitur, homicidium mere casuale, eo quod opus sit illicitum, inducere irregularitatem.

8. *Navarri dictum rejicitur.* — Et ob eandem causam non omnino probo quod Navarrus, dicto num. 224, ait, tunc homicidium hoc inducere irregularitatem, quando opus, ex quo proxime sequitur, est illicitum, *lege justitiae*. Quam particulam addidit, ut excluderet homicidium causatum a iudice justa sententia, ex odio tamen inique prolata, vel a milite pugnante in justo bello, occidente vero aliquem ex odio. Sed imprimis ad excludenda illa homicidia non oportuit addere illam particulam, tum quia haec sunt homicidia directe volita, per quae distinguuntur ab omni casuali; tum quia hic agimus de homicidio privata auctoritate facto, non publica. Deinde fere eodem modo interrogandum mihi superest, quae lex justitiae violari debeat per opus illicitum, ut ex illo contrahatur homicidium. Si enim est sermo de lege justitiae, quae vetat occidere hominem, dubium non est, quin per opus contrarium huic legi incurratur irregularitas; tamen si hoc requiratur,

aperte sequitur per homicidium omnino casuale non contrahi irregularitatem, quia per illud non violatur illa lex justitiae, quantumcumque opus sit alias illicitum vel injustum in alia materia. Assumptum patet, quia sine voluntate directa vel indirecta non violatur lex justitiae; illud autem homicidium utroque modo involuntarium est. Vel est sermo de lege justitiae in qualibet alia materia; et hoc nec potest ratione fundari, nec difficultatem expedit. Primum patet, quia quid refert opus esse illicitum in ratione furti, quod est contra justitiam, vel in ratione fornicationis contra temperantiam, si ex utroque opere sequitur homicidium cum eadem ignorantia, et aequae involuntaria? Aut quae ratio reddi potest ad exponendum jura hoc modo, quae absolute de opere illicito loquuntur? Secundum patet repetendo dilemma saepe factum, quia non obstante injustitia alterius speciei, homicidium potest esse omni modo involuntarium; si ergo hujusmodi sit, alia injustitia parum refert ad inducendam irregularitatem; si vero non est tale, jam non est casuale, de quo agimus.

#### Questionis resolutio.

9. *Prior conclusionis pars suadetur.* — Dico ergo, per homicidium omnino casuale ex opere illicito sequutum, non contrahi irregularitatem, nisi in casibus a jure expressis; censetur autem sufficienter expressus, quando actio est specialiter prohibita propter periculum homicidii, non vero alias. Juxta hanc regulam interpreto opinionem Soti, et Castro, et recentiorum, quam etiam insinuavit Marianus Socinus, in cap. Ad audientiam, de Homicid. Et imprimis regula ipsa seu prior pars ejus, est consentanea juri, quod habet, irregularitatem non incurri nisi in casibus a jure expressis. Nam probatum sufficienter est tale homicidium non comprehendi in sola generali lege, quae punit homicidium, quia illa ex vi sua solum comprehendit homicidium aliquo modo voluntarium; ergo, si aliud homicidium non voluntarium inducit irregularitatem, necesse est, ut jure sit expressum. Ostensum etiam est, hoc jus expressum non sufficienter ostendi per argumentum a contrario; ergo ubi non fuerit magis expressum, seu directe hoc statuens, non incurritur haec irregularitas.

10. *Duo casus in quibus in jure exprimitur irregularitas homicid. hujusmodi.* — *Primus.* — Sunt autem duo casus, in quibus hoc suffi-

cienter expressum est in jure. Unus est in cap. ult. de Homicid., in 6, ubi mandans alium injuste percuti, si mandatarius excedat et occidat, qui mandavit irregularis manet, etiamsi omnem adhibuerit diligentiam, ne percussio mortalis esset, quia jus nullam admittit ut sufficientem, supposito tam injusto mandato, ut supra late declaratum est. Alius casus est, in cap. Tua nos, de Homicid. Quem textum non recte intellexit Soto supra, existimans in casu illius textus monachum non incurrisse irregularitatem, quia dedit operam rei licitae, et adhibuit diligentiam, et ita in textu declarari; nam oppositum expresse habetur in textu quoad utramque partem. Quod enim dederit operam rei illicitae, patet ex illis verbis: *Licet ipse monachus multum deliquerit alienum officium usurpando*. Quod vero irregularitatem contraxerit, patet ex illis: *Post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare*. Quae verba manifeste significant, dispensationem fuisse in eo casu necessariam, tamen facilius concedi propter piam intentionem, et diligentiam adhibitam. Et haec est communis intelligentia. Juxta quam continetur ibi casus expressus, in quo propter homicidium casuale incurritur irregularitas, ratione operis illiciti, etiamsi adhibita fuerit sufficiens diligentia. Potuit enim jus punire illud factum tali poena, non simpliciter et absolute, sed si ex illo sequatur talis effectus, scilicet homicidium, quomodocumque sequatur. Vel a contrario potuit illi homicidio adjungi irregularitas propter tale factum procedens a tali causa, quia jus interpretatione sua reputat illud voluntarium, propter solum opus, quidquid sit de diligentia adhibita.

11. *Casus cap. Sicut, de Homicidio, expenditur.* — Huc etiam spectare videtur textus in cap. Sicut, de Homicidio, ubi quidam presbyter irregularis declaratur, quia dedit occasionem abortui (supposita foetus animatione), quae occasio non videbatur sufficiens; tamen, quia presbyter dabat operam rei illicitae, declaratione juris occasio sufficiens reputatur. Hoc autem colligi potest ex illius verbis: *Cum qua contraxerat consuetudinem inhonestam, et quae asserebat se concepisse ex eo*. Et ita exponit Panormitan. ibi, num. 6, ubi Additio ait esse communem interpretationem. Sed nihil esse video quod ad illam cogat, nam actio, quae ibi narratur, sufficiens causa abortus moraliter existimari potuit, scilicet,